

Celler's





# Contenta.

- D. BALTHASERIS CELLARII DISPUT:
1. Discussio Principuorum fidei capitulum inter Protestantes  
et Pontificias controversas. & Albrecht 57.
  2. De Primo Religionis Christianae principio & Mattayeman 59.
  3. De Divina rerum Scientia, futurorumq; contingentium  
praescientia & Enckhisen 59.
  4. De Divina voluntate & Boning 59.
  5. De Divina Bonitate & Hackeman 60.
  6. De Nonnullis Scripturae locis Divinae bonitatis in speciem  
contrariis & Gantelman 1660.
  7. Aurea salutis catena e Cap. 8. v. 29. 30. ad Rom. & Wess p. Lic. 1660.
  8. De Principis fidei Orthodoxae controversiis & Rosa Ap. 57.
  9. De peccato originis & Froboß. 60.
  10. De Libero arbitrio. & Mener 1652.
  11. De peccato & Ulrici 1654. 12. De Ecclesia & Born 1650.
  13. De Republica spirituali seu de Ecclesia & Siebert 1651.
  14. De Bonorum operum studio omnibus, qui salvari cupiunt,  
summo opere necessario & Bercking 1651.
  15. De Visione Dei & Lüden 59.
  16. De cultu S. Mariae virginis apud Pontificios p. Lic. & d. Sellanig.
  17. De Communione sub utraq; specie. & Haberland 66.
  18. De Scriptura Sacra. & Otho 19. De peccato originis & Spuerli, 1650.
  20. De Justificatione. & Dürr. 21. De bonis justificatorum operibus & Linig 50.
  22. De Sacramentis in genere et in specie de Baptismo & Confirmatione  
& N. N. 1651.
  23. De Eucharistia seu Coena Domini & Schmidt 1651.
  24. De Poenitentia & Lupke. 25. De Extrema unctione & Mejer 1651.
  26. De Communione sub utraq; specie et parvulorum & Heisius 52.
  27. De Sacrificio Missae & A. Froding. 1652.
  28. De Ordine seu Ministerio Ecclesiastico & m. Walmig 1652.
  29. De Matrimonio & Goslar. 30. De Purgatorio & Ottekop 1654.
  31. De cultu Sanctorum & Gieseke 54. 32. De Sanctorum  
Reliquiis earumq; cultu et veneratione. & Gecius 1656.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
VISIONE DEI,

*Quam*

D. O. M. A.

PRÆSIDE

BALTHASARE CELLARIO,

SS. TH. D. ET ORDINARIO PROFESSORE,

SUPERINT. ITEM GENERALI,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA,


Publico eruditorum examini

exponit

HENRICUS WERNERUS LÜDERUS,

*In Majori Auditorio*

*die xv. Octobris.*



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt MARTINUS Vogel & JOHAN GEORG Täger.

MDCCCLXIX.





VIRIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS CONSULTIS-  
SIMIS ET EXCELLENTISSIMIS,

DN. JUSTO GEORGIO SCHOTTELIO

Jcto.

DN. JOACHIMO FRIDERICO SÖHLEN

Jcto.

Illustrissimi Celsissimiq; Principis ac Domini, Dn. AUGUSTI  
Ducis Brunsvic. & Luneb. Consiliariis gravissimis & Dica-  
sterii Guelpherbytani Adfessoribus dignissimis:

UT ET

AMPLISSIMIS SPECTATISSIMIS PRUDEN-  
TISSIMISQUE VIRIS

DN. HENRICO JULIO Hasenfueß /

Camerae Guelphicae Praefecto gravissimo;

DN. JOHANNI MEYER /

Praefecto Aulico meritissimo;

Dominis Mecœnatibus ac Patronis summâ  
observantiâ æternum prosequendis;

*Hoc exercitium Academicum in studiorum suorum commen-  
dationem, & favoris benevoleque voluntatis inci-  
tamentum imâ animi submissione*

offert

H. W. Lüderus.





Σὺν τῷ Θεῷ!

THESES I.



Quantumvis Deus sit *Spiritus*, qui Joh. IV, 24.  
*nec carnem nec ossa, & ita nec oculos habet:* Luc. XXIV.  
 tamen ipsi scriptura & oculos, & quæ me- 39.  
 liantibus illis usitate fit, visionem haut  
 caro tribuit. *Vidit*, ait Moses, *Deus omne*, Gen. I, 31.  
*quod fecerat, & ecce bonum erat valde.* Et rursus: *Vidit Jeho-* Gen VI, 5.  
*va, quod multa malitia hominum esset in terra.* Ipse Deus dicit  
 Mofi: *Videndo vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto.* Exod. III, 7.  
 Sic & David: *E cælis respicit Jehova, videt omnes filios homi-* Ps. XXXIII.  
*num.* Et iterum: *Oculi Jehovæ super justos.* Quod & repetit 13.  
 in novo Testamento apostolus, quando ait: *Oculi Domini* Ps. XXXIV, 16.  
*intenti sunt in justos.* I Pet III, 12.

II. Hæc & similia scripturæ loca Anthropomorphi-  
 tæ, qui & ab hujus opinionis autore Audæi vocati, minus  
 recte accipientes Deum corporeum esse affirmabant ipsiq;  
 materiales oculos attribuebant, cum tamen oculi ut & alia  
 membra corporea non nisi per ἀνθρωπομορφία ipsi tribu-  
 antur. Dudum id notavit Theodoretus lib. IV. hæretica-  
 rum fabularum cap. X. de Audianis. *Audæus, inquit, quidam*  
*ex Syria trans Euphratem ortus Deum humana forma esse docuit*  
*& corporis illi membra tribuit, stulte intelligens, quæ οὐκ ἐτα-*  
*βατῶς seuper accommodationem in divina scriptura dicta sunt.*  
*Homnibus enim loquens scriptura divina, qui ne eorum quidem,*  
*quæ cernuntur, naturam exacte norunt, prout ipsos audire licebat,*  
*doctrinam tradidit. Et ideo facultatem, qua Deus videt, oculos*  
 A 2 appella-





appellavit, & aures, qua audit, & manus, qua operatur & alias agendi potentias similiter.

III. In eandem sententiam & Johannes Damascenus lib. I. orthodoxæ fidei multa tradit, è quibus hæc hoc attulisse loco sufficiat. Quia, ait, plurima de Deo corporaliter in sacra scriptura symbolicè dicta esse comperimus, scire nos decet, cum nos ipsi homines simus crasso carnis indumento circum dati, nos minime posse divinas & subtiles & immateriales DEI operationes aut intelligere aut eloqui, nisi imaginibus & formis & significativis nostro more utamur signis. Quæcunque igitur de DEO corporaliter dicuntur, symbolicè sunt dicta: habent autem altiorem intelligentiam: Simplex enim divinitas & figuram nullam habens. Oculos ergo Dei & palpebras & ὄρασιον seu visionem virtutem ipsius universorum conspectricem, & quod nihil ejus cognitionem effugiat, intelligimus, eo quod in nobis per hunc sensum perfectior cognitio certiorque nascitur.

IV. Sicut autem scriptura Deo incorporeo oculos & visionem, quæ per oculos fieri solet, passim tribuit; ita & pariter de Deo, quem nemo hominum videt, neque videre potest, ac propterea ἀόρατος seu invisibilis audit, affirmat, quod à quibusdam sit visus. Vidi, ait Jacob, Deum à facie ad faciem. Et propheta Esaias de semetipso perhibet, quod oculis suis Regem Jehova exercituum viderit.

I Tim. VI, 16  
Col. I, 15.  
I Tim. I, 17.  
Ebr XI, 27.  
Gen. XXXII, 30.  
Es. VI, 5.

V. Epiphanius loca hæc, prima fronte quæ apparent inter se pugnancia, conciliaturus ad divinam omnipotentiam confugiens asserere non dubitat, Deum per infinitam suam potentiam in quibusdam imbecillem oculorum aciem ita corroborasse, ut oculis corporeis Deum, qui natura est invisibilis, vere videre potuerint, quamvis illū perfecte non affecuti fuerint. Verba ejus hæresi LXX. hæc sunt: Deum quidem videri præsertim ab humana natura non posse fatemur; neque quod aspectabile est, videre posse illud, quod est invisibilis.



invisibile. Sed idem tamen invisibilis Deus pro sua erga homines  
benignitate & potentia imbecillum aciem ita virtute sua corrobo-  
rare dignatur, ut quod alioqui videri non potest, adspiciat. Porro  
quando invisibile & infinitum illud adspicit, non quatenus infi-  
nitum est, illud intuetur, sed quatenus capere potest, natura impos-  
sibiliter quidem se habens, sed roborata ad assecutionem possibili-  
tatis. Atque ita nihil in sacris literis discrepabit, neque sententia  
ulla, quæ ab alia sententia dissideat, invenietur. Res autem ipsa,  
(ut commemoratum sæpius à me exemplum hoc loco repetam) ita se  
habet: Quemadmodum si quis cælum per angustum foramen tran-  
spiciat ac cælum videre se dicat, non utique mentitur; videt enim  
revera cælum. Quod si quis prudenter ei dicat: non vides cæ-  
lum; non iste mentitur: non enim extensionem cæli neque latitu-  
dinem aspexit. Quocirca neuter eorum mentitus est; Sed uterque  
verum dixit. Sæpe enim & in montis vertice stantes conspici-  
mus mare; neque mentimur, si dicamus, nos illud videre: atque si  
quis contradixerit & asserat, nos istud non vidisse, neque is men-  
titur; propterea quod, quæ est hominis imbecillitas, quò illius am-  
plitudo aut longitudo aut profunditas pertingat, quamque alti sint  
istius voraginis recessus, & quæ illius effecta, videre non potest.  
Si itaque creaturarum res sic se habet apud nos, quanto magis id  
contingit in gratia, quam largitus est Deus Prophetis & apostolis?  
Viderunt igitur revera & non viderunt. Sed viderunt, sicut na-  
tura potuit ferre, & hoc secundum gratiam potentiae, qua potens  
ille ipsum potentem fecit in omnibus propter amicitiam ejusdem  
hominis servientis illi in veritate.

VI. Verum enim vero, ut eò cum Epiphanio dila-  
bamur, minime fuerit opus. Pugna hæc non minus tolle-  
tur, si dixerimus, sanctos illos, à quibus Deus perhibetur  
visus, non ipsam Dei substantiam, utpote immaterialem  
adeoq; invisibilem, sed tantummodo formam ejus corpo-  
ream ad tempus assumptam vidisse. Firmissime, ait Estius in





lib. II. Sent. dist. IX. est tenendum, in omnibus apparitionibus, quibus Deus corporaliter apparuisse legitur, non esse visam DEI substantiam oculis corporeis, sed tantummodo exhibitum corporeum aliquid, quo visibiliter conspecto aut sensibiliter percepto Deus invisibiliter intellectui representaretur. Ipsa enim DEI natura, cum sit incorporea & immaterialis, sub objecto visus corporalis atque omnino sensuum corporeorum tam interiorum quam exteriorum non continetur. Neque enim potentia organica extendi potest ultra corporea. Hæc ita loco dicto Estius.

VII. Huic sententiæ prisæ Ecclesiæ Doctores magno subscribunt numero. Sic enim Cyrillus Hierosolymitanus catechesi IX. scribit: *Carneis quidem oculis Deus cerni non potest: nam incorporeum sub corporeos oculos cadere nequit.* Pariter & Chrysostomus homil. XXXIX. in Genesin de apparitione DEI facta Abrahamo hunc in modum differit: *Cum audieris: apparuit, (scilicet Deus Abrahamæ) nihil humile suspiceris, neque putes oculis carnalibus videri divinam illam & incorruptibilem substantiam, sed pie omnia intellige.* Ex mente proinde Cyrilli & Chrysostomi Deus in natura sua carnalibus oculis videri nequit.

VIII. His è Latinis jungimus Hieronymum, qui commentario suo in VI. cap. Esaiæ inter alia hæc tradit: *Querat aliquis, quomodo nunc Propheta dominum vidisse se dicat, & non absolute dominum, sed dominum Sabaoth, cum Evangelista Johannes dixerit: Deum nemo vidit unquam: Et ad Moysen loquatur Deus: Non poteris faciem meam videre; neque enim videbit homo faciem meam & vivet. Ad quod respondebimus, non solum patris divinitatem, sed ne filij quidem & Spiritus Sancti, quia una in trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis. — Legimus, quod Abrahamæ visus sit Dominus in hominis figura: Et cum Jacob quasi homo luctatus sit, qui Deus erat: unde & appellatus est locus ipse Phanuel; hoc est, facies DEI.*

Vidi



Vidi enim ait Dominum facie ad faciem & salva facta est anima  
mea. Et Ezechiel quoque vidit dominum in forma hominis seden-  
tem super Cherubim: à lumbis ejus & deorsum erat quasi ignis: &  
superiora habebant speciem electri. Ergo Deus natura non cer-  
nitur, sed videtur hominibus, ut voluerit. Ergo ex Hierony-  
ni sententia Deus naturâ sua est & manet invisibilis, licet  
modo sub hac, modo sub illa forma hominibus se conspi-  
ciendum præbuerit.

IX. Eodem modo expedit S. Augustinus epist. cxii  
hanc quæstionem, quomodo nempe dicatur in scriptura,  
Deum neminem vidisse unquam, cum tamen non minus  
in eadem asseratur, justos antiquos, verbi gratia, Abraha-  
mum, Jacobum, Esaiam &c. illum vidisse. Illud, ait, propte-  
rea dictum est, quoniam Deus natura invisibilis est. Illi autem ideo  
viderunt, quicumque Deum viderunt, quia, cui voluerit, sicut vo-  
luerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente  
natura. Nam si quando patres Deum viderunt, ipsa illis natura  
ejus apparuit, quamvis, si nolisset, utique non apparuisset, quomodo  
Deum nemo vidit unquam, cum eo volente ipsa ejus à tot patribus  
natura conspecta sit? Et post aliqua: Invisibilis naturâ Deus,  
non tantum Pater, sed & ipsa Trinitas, unus Deus. Et quia non  
tantum invisibilis, verum etiam incommutabilis, sic apparet, qui-  
bus voluerit, in qua voluerit specie, ut apud eum integra maneat  
ejus invisibilis incommutabilisque natura. In specie ergo as-  
sumta, quam Deus sibi delegit, à patribus est visus, ipsa ve-  
ro ejus natura oculis corporeis visa minime fuit, adeoque  
non pugnat, Deum in sua natura neminem vidisse, & tamen  
in assumta specie à quibusdam visum esse.

X. Quin & Fulgentius responsione ad quæst. i. ii.  
Ferrandi Diaconi Deum in se & natura sua oculis corpo-  
reis videri non posse hac ratione conatur probare: Oculis,  
ait, corporalibus DEUS Spiritus non videtur. Vnde quosdam le-  
eus



tus Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quod DEUM Patrem oculis corporalibus videat, in epistola sua, quam ad Italicam scripsit, licet brevi se mone, sufficienti tamen responsione convincit. Hoc habent quippe oculi corporis, ut non solum corpora videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos & ea, quæ vident, spatij cuiusquam media intervalla fuerint. Inde est, quod cum alia plurima videant, se ipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se: nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adjungatur. Quisquis ergo putat, DEUM posse oculis corporalibus cerni, prius est, ut eum dicat, ab ipsis oculis corporali spatio separari. Et remoto hoc, qui oculis corporeis fiat, visionis modo, alterius statim meminit, inquit: Quisquis vult agnoscere, quibus oculis DEUS videatur, ipsum DEUM cogitet, qui sapientia est, veritas est, charitas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, & charitas: ipsis oculis videtur illa sapiens veraque divinitas. Hosce autem oculos paulo post dicit non esse corporis, sed animæ.

XI. Quantūvis ergo, ut dictū est, oculis corporeis Deus hac in vita nec videatur nec videri queat: oculis tamen animæ, ut Fulgentius loquitur, seu mente ipsum etiā hic videri posse ex scriptura certum est. Et quidem (1) videri potest in effectis & rebus ab ipso creatis. Qua de visione intelligendus est apostolus, cum ait: *Id, quod de Deo cognosci potest (naturaliter seu beneficio intellectus) manifestum est in illis (scilicet gentilibus) DEUS enim illis patefecit. Ipsius enim invisibilia dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas.* Rursus & (2) videri potest in verbo seu revelatione, qua de visione S. Paulo est sermo, quando ait: *Cernimus nunc per speculum & ænigma. Sicut videlicet, qui rem in speculo videt, non illam immediate sed imaginem ejus & per eam demū rem ipsam, quam repræsentat, quodammodo videt & cognoscit:* Sic

n. 1, 20.

1 Cor. XIII

12.



Sic & hac in vita, quando Deum in verbo, quod nobis re-  
velavit, aut etiam in operibus, quæ ejus infinitam essen-  
tiam confuse & non clare repræsentant, videmus, non ipsum  
immediate & in seipso videmus. Quam ob causam tam  
hæc posterior quam illa prior Dei visio seu cognitio ab-  
stractiva solet appellari.

XII. Nec minus (3) è Scriptura certum est, Deum  
à beatis in altera vita animæ oculis seu intellectu visum  
iri. Ita enim Christus: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum* Matth. v, 8.  
*videbunt: Sanctus item Paulus: Cernimus nunc per specu-* I. Cor. XIII,  
*lum & ænigma: tunc autem (in altera vita) facie ad faciem i.e.* 12.  
*coram & immediate Deum cernemus. Et iterum: Per* II. Cor. v, 7.  
*fidem incedimus, non per aspectum, qui alteri vitæ reservatur.*  
Autor quoque epistolæ ad Ebræos: *Sine sanctimonia, ait,* Ebr. XII, 14.  
*nemo videbit dominum. Pariter & Johannes: Charissimi, nunc* I. Joh. III, 2.  
*flij Dei sumus, sed nondum patefactum est, quod erimus. Scimus*  
*autem fore, ut, cum ipse patefactus fuerit, similes ei simus, quo-*  
*niam videbimus eum sicuti est.* Talis enim sine dubio visio Matth. XIX,  
hisce in locis beatis promittitur, qualis est illa, qua 10.  
*angeli in*  
*cælis qui sunt, semper faciem Patris, qui in cælis est, videre di-*  
*cuntur. Cum vero angeli, qui sunt Spiritus, corporeos*  
*oculos non habeant, facile est intelligere, eos Deum non*  
*corporis sed mentis oculis seu mente videre, adeoque &*  
*beatos, angelis similes etiam hac in parte futuros, ad eum*  
*modum Deum esse visuros.*

XIII. Ita sane sensisse veteres, in proclivi est osten-  
dere. Sic enim Origenes lib. 1. de principiis: *Aliud, ait,*  
*est videre, aliud est cognoscere: videri & videre corporum res*  
*est, cognosci & cognoscere intellectualis naturæ est. Quicquid*  
*ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre nec de Filio senti-*  
*endum. Quod vero ad naturam pertinet deitatis, hoc inter Pa-*  
*træ & Filium constat. Denique ipse in Evangelio non dixit:*

B

Quia



Matth. xi.  
27.

*Quia nemo vidit Patrem, nisi Filius, neque Filium nisi Pater, sed ait: Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit, nisi Filius. Ex quo manifestè indicatur, quod quicquid inter naturas corporeas videre & videri dicitur; hoc inter Patrem & Filium cognoscere dicitur, & cognosci per virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem. Quia igitur de incorporea natura & invisibili nec videre proprie dicitur, nec videri: idcirco neque Pater à Filio, neque Filius à Patre videri in Evangelio dicitur sed cognosci. Quod si proponat nobis aliquis, quare dictum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: multo magis etiam ex hoc (ut ego arbitror) assertio nostra firmabitur. Nam quid aliud est corde Deum videre, nisi secundum id, quod supra exposuimus, mente eum intelligere atque cognoscere? Frequenter enim sensibilibus membrorum nomina ad animam referuntur, ita ut oculis cordis videre dicatur, id est cum virtute intelligentiæ aliquid intellectualis conicere. Ex mente ergo Origenis, unigenitus Dei filius Patrem, quoad naturam suam, non nisi intellectu videt i. e. cognoscit, nec mundi corde alia ratione, quam cordis oculis, Deum sunt visuri. Idem suam de hac Dei visione sententiam lib. vii. contra Celsum adhuc clarius hisce exponit verbis: Ad cognitionem Dei nullo habemus opus corpore. Nam id, quod Deum noscit, non est oculus corporis, sed mens videns facta ad conditoris imaginem & facultatem videndi Deum nacla per divinam providentiam: & id, quod videt Deum, est cor mundum, ex quo non amplius exeunt malæ cogitationes, non cædes, non adulteria, non scortationes, non furta, non falsa testimonia, non blasphemias, non oculus malus, non aliud quicquam inconveniens, quapropter dicitur: Beati mundi corde, quoniam Dominum videbunt. — Mentitur ergo Celsus, contra nos dicens, quod speremus nos Deum visuros oculis corporeis. Quid dici poterat disertius, quam Deum non oculis corporeis, sed mente à beatis visum iri?*

XIV. In



XIV. In eandem opinionem & propendisse Hieronymum hæc ipsius verba, quæ leguntur in Comment. ad cap. Esa. LXIV, nos non patiuntur ignorare: *Deus, ait, nequaquam sermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis est, sed ab his videtur, de quibus scriptum est: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

XV. Nec alienum ab hac sententia fuisse Augustinum, vel sola epist. ejus VI. ad Italicam nos poterit edocere. *Cum legis, inquit, videmus nunc per speculum in ænigmatē, tunc autem facie ad faciem: intellige, inde tunc nos visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmatē. Hoc autē utrumq; interioris hominis munus est, siue cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utimur speculo & ænigmatē, siue in illa patria, cum per speciem contemplabitur. Pro qua visione positum est: Facie ad faciem. Audiatur caro carnalibus ebria cogitationibus: Spiritus est Deus, & ideo, quia adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare. Si adorare, quanto magis videre? Quis enim affirmare audeat, Dei substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit corporaliter adorari. Idem paulo ante in eadem epistola dixerat: Per hoc (Deus) videri ab homine non potest, per quod videt homo corporeus corporea. Nam & si mentibus piorum esset invisibilis, non diceretur: Videbimus eum, sicuti est. Et recitato integro loco illo Johannis statim subjungit: Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel esse vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renovatur secundum agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Et tanto efficimur similiore illi, quanto magis ejus cognitione & charitate proficimus, quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, ita sane, ut in hac vita quantuscumque profectus sit, longe absit ab illa perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum, sicut dicit apostolus facie ad faciem. Hæc & Augustinus.* B 2 XVI.



XVI. Oculis proinde animæ beati Deum in altera vita sunt visuri, non quidem, uti hac in vita, amplius *in speculo & ænigmate*, hoc est, non mediate vel in alio, sed *sicuti est, & facie ad faciem*. Quæ phrasi apostolus perfectissimam notat cognitionem, sumpta metaphora à visione alicujus corporæ, quæ tunc censetur perfectissima, quando ipsum non à tergo sed facie ad faciem, qua quisque agnoscitur, & coram intuemur. Et hinc est, quod intellectualem hancce Dei visionem ad differentiam ejus, quæ est hujus vitæ, & abstractiva appellatur, claram & intuitivam nominant. Veluti enim alias rem clare cognoscunt, qui eam præsentem per propriam speciem seu coram intuentur: ita & beati clare & intuitive Deum cognituri sunt, quando ipsum animis suis intime præsentem coram & immediate cognoscent.

XVII. Ad claram autem & intuitivam hanc Dei visionem ex parte intellectus requiritur auxilium aliquod supernaturale, quod intellectum juvet & supra vires suas quasi elevet. Si enim hominis intellectus propria virtute fidei mysteria, quoniam captum humanæ mentis sibi relictæ longissime excedunt, eo, quo ad salutem cognitu & creditu sunt necessaria, modo cognoscere & credere nequit, sed ut ijs firmum & immotum præbeat assensum, gratia supernaturali opus habet: multo minus intellectus sibi relictus per vires suas naturales Deum clare, intuitive, quidditative, seu per essentiam poterit videre; sed supernaturale aliquod principium, quod cum eo ad eliciendum hunc visionis actum efficienter concurrat, omnino exigit. *Sicut, ait Becanus part. I. theol. Scholast. tract. I. cap. IX. de visione Dei quæst. III. intellectus per solas naturæ vires non potest præbere assensum objecto fidei, quia supernaturale est, sic etiam non potest intueri objectum visionis, quia similiter supernaturale est. Vel sic potius: Si intellectus non potest naturaliter habere*  
obscur-



obscuram & abstractivam cognitionem de objecto supernaturali, multo minus claram & intuitivam.

XIIX. Hoc ipsum vero supernaturale auxilium seu principium, quo intellectus ad Deum clare videndum adjuvatur & supra naturales vires elevatur, vocatur *lumen gloriæ*, sicut illud, per quod intellectus ad cognoscenda fidei mysteria collustratur, *lumen gratiæ* solet dici. Et quidem ideo supernaturale illud principium, quod effective juvat & corroborat intellectum ad claram visionem Dei eliciendam juxta Vazquez disput. XLIII. cap. VII. ad part. I. Thom. quæst. XII. art. V. dicitur *lumen gloriæ*, quia Deum ipsum, qui est gloria & felicitas nostra, manifestat. Quem manifestationis Dei modum ita ibidem declarat: Cum, inquit, illa qualitas sit principium cum intellectu eliciendi visionem Dei: visio autem sit manifestatio quædam & representatio ipsius Dei, in ea *lumen gloriæ* dicitur manifestare Deum non formaliter sed efficienter producendo nimirum visionem, quæ est ipsius Dei manifestatio: quare non debemus existimare *lumen gloriæ* ita illuminare & manifestare nobis objectum, ut luminis manifestatio visionem objecti præcedat: sicut *lumen corporale* illustrat colores, antequam videantur, hoc est, illuminat medium, per quod in oculum species immitti possint, quibus colores intueamur: — sed luminis gloriæ illustratio & manifestatio est ipsa Dei visio in modum à nobis explicatum. Eatenus scilicet *lumen gloriæ* Deum dicitur manifestare, quatenus visionem ejus, quæ est Dei quædam manifestatio, in & cum intellectu operatur & efficit.

XIX. Beneficio proinde luminis gloriæ Deus intellectui beatorum ita manifestatur, ut divinam essentiam, omniaque quæ formaliter ei insunt, ac ad eam intrinsece pertinent seu cum ea reapse idem sunt, uno & simplici actu videat & cognoscat. Et quia in Deo formaliter sunt essentia ipsa, attributa & personæ, & quidem ita sunt, ut attributa nec à se invicem, nec ab essentia, nec ab ea personæ à se realiter distinctæ re ipsa differant,



rant, necesse utique fuerit, intellectum clare & intuitive di-  
vinam essentiam videntem hæc omnia, quæ cum ipsa idem  
prorsus sunt, eodem actu & videre & cognoscere. Et sane si  
intellecto lumine gloriæ collustratus ea omnia, quæ formaliter  
Deo insunt, non videret aut unum videret absque alio, v. g. es-  
sentiam absque attributis, vel unum attributum e. g. iustitiam,  
absque alio, vel personam unam v. g. patrem citra aliam,  
id quod in Deo est, clare non videret, adeoque nec divinam  
essentiam intuitive cognosceret.

XX. Secus tamen res sese habet cum illis, quæ in Deo  
solummodo eminenter sunt, qualia sunt creaturæ, creatura-  
rum item perfectiones, & quæ à libera Dei voluntate alias de-  
pendent & ad creaturas libere terminantur. Non, inquã, necesse  
est, ut intellectus hominis lumine gloriæ collustratus videndo  
Dei essentiã etiam creaturas videat. Cum enim creaturæ, quæ  
eminenter solum sunt in Deo, ut effectus in causa, proprie &  
secundum suum proprium, quod habent, esse Deo non insint,  
nec ab intellectu glorificato vi istius visionis, qua essentiam  
divinam videt, videri poterunt. Hoc Vazquez disp. L. cap. IV.  
in part. I. Thomæ quæst. XII. art. IIX. ita proponit. *Essentia  
divina in se ipsa est ab omni re creata absoluta, nec ad aliquam refertur  
relatione ex natura rei: nequit igitur esse medium, quo aliqua creatura  
cognoscatur, nedum ut in ipsa clare videatur. Si enim esset medium  
cognoscendi aliquam; aut esset, quia creaturæ sunt in ipsa essentia di-  
vina formaliter, & viso aliquo videntur ea, quæ formaliter in eo sunt:  
aut quia sunt in ea virtute solum & efficacitate tanquam in causa: vel  
certe tanquam in cognoscente. Sed nullo ex his modis creatura aliqua in  
Deo videri potest. E. essentia Dei clare visa non ducit videntem in ali-  
cujus creaturæ claram notitiam.* Videatur Vazquez l. c. pluribus.

XXI. Similiter nec futura, quæ in Dei consilio esse dicuntur, seu li-  
bera ejus decreta vi visionis illius, qua intellectus Deum clare videt, vi-  
dentur & cognoscuntur. Cum enim libera Dei decreta præter volun-  
tatem divinam, quæ in se spectata nihil aliud est quam ipsa Dei essentia,  
etiam



etiam liberam terminationem essentia ad creaturas importent, & vero creatura, quæ in decretis divinis formaliter sumtis connotantur, in Deo non sint: manifestum utique est, per visionem illam, qua intellectus lumine gloria supra vires naturæ erectus Dei essentiam ac proinde & voluntatem Dei clare videt, libera decreta divina non videri. Hoc insuper ex eo patet, quod de *angelis in cælis, qui semper vident faciem Patris in cælis*, expresse dicit Christus, quod diem & horam, extremi iudicij nesciant. Si enim vi visionis claræ & intuitivæ decreta Dei libera viderentur, utique & beati angeli clare Deum nunquam non videntes, decretum illud Dei de die & hora, qua hocce seculum consummare constituit, viderent. Hoc vero quoniam non vident, nec decreta alia Dei libera vi visionis istius videri, certum est.

Matt. XIX,  
10.

Matt XXIV,  
36.

XXII. Quod si proinde aliquis cum Thoma part. I. quæst. XII. art. VII. visionem comprehensivam dixerit illam, qua aliquid perfecte & in tantum cognoscitur, in quantum est cognoscibile, facile est dijudicare, claram illam & intuitivam Dei cognitionem comprehensivam non esse. Deus enim quia infinite est cognoscibilis, nulla cognitio ipsi erit sic adæquata, nisi fuerit infinita. Huiusmodi autem cognitio in creaturas non cadit, quoniam earum nulla perfectionem objecti cogniti, quæ infinita est, perfectione cognitionis potest adæquare: quare & ad eum modum non poterit visio illa clara & intuitiva vocari comprehensiva. Rursus vero si cum Augustino ep. CXII. cap. IX. quis dicat *id videndo comprehendendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*; & ita id intelligat, ut nihil etiam eorum, quæ in eo sunt virtute aut aliquo ab eo modo dependent, videntem lateat, rursus clara & intuitiva Dei visio comprehensiva dici nequit: cum per eam nec creaturæ secundum propriam suam naturam, nec possibilis futura, quæ à decretis Dei liberis pendent, cognoscantur. Si vero denique comprehensivam cognitionem quis vocaverit, qua res ita videtur, ut videntem nihil lateat eorum, quæ in ea sunt formaliter, & intrinsecè ad eam pertinent, utiq; hoc sensu recte clara & intuitiva Dei visio vocari poterit cōprehensiva. Omnia enim, quæ in Deo sunt formaliter & intrinsecè, vident, qui Deum clare & intuitive vident.

XXIII. Et hac ratione Vazquez disp. LIII. cap. IV. ad part. I. Thom. quæst. XI. art. IX. quæstionem hanc: *An Deus sicut clare videri, sic etiam comprehendendi à creatura possit*; omnium optime expediri posse censet: *Duobus, inquit, modis contingit, cognoscere de re aliqua quicquid illius est & ad ipsam pertinet; uno modo cognoscendo id tantum, quod est in ipsa formaliter & ad illius essentiam vel etiam proprietates intrinsecè pertinet; & hoc modo viden-*



zur meo iudicio accepisse Augustinus Serm. 38. de Verbis Domini & Nazianz. 34. cum docent, DEI comprehensionem reservari nobis in premium in alia vita. — Altero autem modo dicitur res aliqua comprehendi, quando non tantum cognoscimus, quicquid est in illa formaliter; sed etiam quicquid eam sequi, vel ab ea pendere potest, id enim omne ad ipsam aliquo modo pertinet; & hoc pacto existimo, non posse Deum à nobis comprehendi; quare sic etiam communis sententia scholasticorum recte explicari potest. Nam quamvis beatus videat in Deo, quicquid in eo est formaliter, non tamen videt omnia, quæ ipsum consequi & ab eo pendere possunt; neque enim possibile omnia, neque futura, quæ ex consilio Dei dependent, cognoscit beatus. Quocirca recte dicitur, ipsum Deum à beato non comprehendi. Hæc ita Vazquez. Ex quibus quilibet intelligit, claram Dei visionem & comprehensivam & non comprehensivam alia atque alia ratione posse vocari.

XXIV. Et in hac clara, intuitiva & comprehensiva Dei visione beatorum seu comprehensorum beatitudo ex parte intellectus est fita. Quæ de Auctor Soliloquiorum, quæ Augustino communiter solent tribui c. xxxvi. eleganter ita scribit: Quid est videre Deum facie ad faciem, nisi quod ait apostolus, cognoscere sicut & cognitus sum, cognoscere veritatem tuam & gloriam tuam, & hoc est cognoscere faciem tuam, cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipsius summe Trinitatis unam & individuum essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium angelorum atque omnium sanctorum, premium vite æternæ, gloria spirituum, letitia sempiterna corona decoris, brabium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum & externum gaudium, paradus Dei, Hierusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ superat omnem sensum. Hac est plena beatitudo & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum & qui glorificavit eum.

XXV. Hisce jungenda putamus, quæ apud Fulgentium responsione ad quæst. 111. Ferrandi leguntur, nec hoc loco legi fortassis aliena. Et nos, ait, speramus per Dei gratiam visuros esse Deum. In quantum autem visuros, in tantum sine dubio cognituros, quoniam utrumque nobis apostolica commendat auctoritas: nam & Beatus Paulus dicit: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Et dilectus Christi Iohannes indubitanter asserit: Quia cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est. Visio autem illa non solius carnis, secundum quam solam solus filius ab impiis videtur, ad eorum condemnationem perpetuam, sed erit visio Deitatis, secundum quam ipsa Trinitas ita videndam præbebit se iustis, ut illa divinitatis indefinens visio ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Quibus Fulgentii verbis disputationem hanc obsignamus.

F I N I S.

II. Cor. XII,  
12.  
I Joh. III. 23



96789

AB: 96789

ULB Halle

3


005 835 186



Vd 17











15.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
VISIONE DEI,

*Quam*

D. O. M. A.

PRÆSIDE

BALTHASARE CELLARIO,

SS. TH. D. ET ORDINARIO PROFESSORE,  
SUPERINT. ITEM GENERALI,

IN ILLUSTRACADEMIA JULIA,  
Publico eruditorum examini  
exponit

HENRICUS WERNERUS LÜDERUS,

*In Majori Auditorio*

*die xv. Octobris.*



HELMESTADII,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO  
Excuderunt MARTINUS Vogel & JOHAN GEORG Täger.

1799 MDCCLXIX.